

BREVI COMMENTATIONE

DE

R ESTICA

PHILOSOPHIA RATIONALI

PRAEMISSA,

A-1903.


ADAUDIENDAM ORATIONEM, CRASTINO
DIE IN MAJORI GYMNASII REVALIENSIS
AUDITORIO PUBLICE HABENDAM,
QUA PAR EST, OBSERVANTIA

INVITAT,

ERNEST. AUGUST. WILHELM. HOERSCHELMANN.

PHILOSOPHIAE PROFESSOR. h. t. RECTOR.

BIBLIOTH:
ACADEM:
DORPAT:



REVALIAE D. XXXI. OCTOBR. MDCCLXXVII.

TYP. LINDFORSII.

ESTICA

1903.

§. 1.

De philosophia rationali disputaturo, duo praesertim, quae nostra aetate saepius in quaestionem vocantur, paulo altius mihi discutienda esse videntur. Alterum ad usum artis logicae pertinet; alterum ad tempus, quo tradi debeat ars illa litterarum studiosis. Sunt enim, qui logicam in inuestiganda veritate verfantibus permagnam atque insignem, sunt, qui perexiguam aut etiam nullam praebere putent vtilitatem. Atque, qui hanc vtilitatem haud ita exiguam esse statuunt, iterum inter se dissentiunt, vtrum jam in scholis instituendi sint iuuenes praeceptis logicis, an demum in Academia. Qua de controuersia qui plura cognoscere cupit, celeberrimum *Gesnerum* adeat, qui in praestantissima, quam nobis reliquit, *Isagoge* in eruditionem vniuersam §^{uo} 1012 multisque aliis locis haud pauca attulit, quae ad illustrandam controuersiae illius historiam faciunt. De re ipsa autem, vtrum philosophia rationalis vtilitatem aliquam afferat, nec ne, atque num in scholis docenda sit ea, an demum in Academia, qualemcunque meam sententiam, qua fieri potest, breuitate exponam.

§. 2.

Ad usum igitur philosophiae rationalis quod attinet, negare non ausim, in multis, aut vt verius dicam, in quam plurimis fere dialecticis libris magnum obseruationum ac regularum numerum esse, quae non solum parum aut nihil ad facilius cognoscendam veritatem nos iuuent; sed quae mentis etiam humanae in inuestigando vero cursum vehementer impedire atque tardare videantur; cuius generis sunt infinitae illae notionum ac propositionum diuisiones ac copiosissimae, quibus plerumque scitent logici, dissertationes de arte syllogistica, de quatuor figuris earumque reductione ad vnam. Profecto, si logicus vltra *Donatos*, *Gruuiosque* haud sapit, operam omnem perdere nec minus culpandus esse videtur, quam celeberrimi olim artis oratoriae doctores *Vhsii* ac *Weisii*, qui, orationes quoque sine littera *R* haberi & per antecedens & consequens, per thesin & hypothesin pulcherrimas epistolas conscribi posse, erudite nobis monstrarunt.

§. 3.

Attamen tradi quoque in philosophia rationali praecepta cogitandi, digna omnino, quae & doceantur & discantur, nemo, nisi earum rerum plane imperitus, in dubitationem adducere sibi sumet. **Edocemur enim,**

vt multa alia omittam, qua ratione experientiae nostrae & aliorum examinandae sint ac expendendae; quomodo in institutione aliorum verum a falso, certum ab incerto fecernere possimus, quid in rebus historicis probandum, quid rejiciendum; quo pacto meditationem nostram rite instituere debeamus, vt ipsi nostro Marte ad detegendas nouas veritates perueniamus; qua via causae rerum inuestigandae sint. Monemur quoque de eradicandis omnis generis praeconceptis opinionibus. Cujus generis regulas *Loki*, *Clericus*, *Autor Artis cogitandi*, *Floegelius*, *Federus* pluresque alii tam veteres, quam recentiores copiose nobis tradiderunt. Ejusmodi autem praecepta cogitandi ad eam, quam tantopere exoptamus, veritatis cognitionem facilius ac tutius assequendam, haud parum conferunt & faciunt, vt, quoad pro infirmitate mentis humanae fieri possit, erroribus ac superstitione praesertim liberemur, qua homini ingenuo ac liberali nihil potest esse odiosius, nihil inensius. Fac enim, iudicandum tibi esse de visionibus ac apparitionibus, quales *Constantinus M.*, *Ignatius Lojola* centumque alii habuisse dicuntur! iudicandum tibi esse de rebus gestis *Gasneri*, cujus laudem buccinatores quidam insolenter satis praedicant! Nonne facilius omnia procedent, si prius didiceris, suspectam esse experientiam, quae testem non habet, nisi hominem feruefactae imaginationis, qualem e. g. *Ignatium Lojolam* fuisse, historia hujus viri testatur? causas praeternaturales non esse assumendas, quamdiu naturales adesse possint, *Gasnerum* igitur tunc demum virorum diuinorum numero habendum esse, si exploratum sit, ipsum non vi herbarum aut aliarum rerum naturalium, sed sola vi verbi diuini aegrotantes suos sonare? Fac in meditatione aliqua formandam tibi esse notionem alicujus rei distinctam! Fac, quod toties in vita humana incidit, rerum quaerendas esse causas! Nonne multum proderit, prius in logica modum didicisse, quo omnia ea facilius effici possint? Ejusmodi praecepta cogitandi, vires ingenii acuunt atque ad vtilissimas disquisitiones instituendas viam aperiunt. Qui igitur logicam omnem naso adunco suspendunt, aut partium studio dediti sunt, sola sua admirantes, reliqua omnia contemnent; aut ipsi non aliam in ea parte philosophiae habuisse videntur institutionem, quam miserandam illam, qua regulae hujus tenoris: *M vult transponi, C per impossibile duci*, id constituunt, in quo cardo rei versatur.

§. 4.

At in hac ipsa tamen philosophiae rationalis commendatione cauti esse debemus, ne, dum alii in eo peccant, quod parum est, nos contra limites

limites omnes transiliamus praestantiamque ejus nimis exaggeremus. Nimia enim commendatio contemptum potius parit, quam laudem. Insolenter utique errant, qui homines per logicam demum recte cogitare discere putant; aut, qui praecepta cogitandi omnibus omnino eruditus, etiam maximo ingenio praeditus, aequae necessaria existimant, ac iis, qui naturam quasi nouercam sunt nati; aut qui tandem, regulis logicis imbutum omnem sapientiam quasi plenis haustibus bibisse, docere haud erubescunt. Facultatem veritatis cognoscendae homines sua natura atque, si eam non haberent natura, eandem etiam sibi comparare haud possent, etiam si centum annos in ediscenda logica consumerent. Bono etiam cum fructu uti posse homines, sine omni logices ope, facultate ista sibi innata, stultus esset, qui negare vellet. Attamen augere potest logica, si sana praecepta tradit, facultatem istam naturalem; alleuare potest inuestigationem veritatis; praesertim in rebus difficilioribus; facere potest, ut facilius scopulos quosdam vitemus, ad quos offendere procliuius sunt homines, praesertim si haud moneantur. Hi semper erunt fructus, quos capient, qui sedulo in studium logices incumbunt. Optime comparari possunt praecepta cogitandi cum regulis, quas ars oratoria tradit. Regulae artis oratoriae non dant facultatem loquendi, quam etiam homo natura sua habet; sed faciunt, ut melius, ut pulchrius, ut grauius loquantur homines. Ita etiam regulae logicae non dant facultatem veritatis cognoscendae, sed faciunt, ut rectius, facilius ac tutius veritatem cognoscamus erroresque fugiamus. Ducit nos haec ipsa comparatio ad notandum alium errorem, quo praecepta dialectica omnibus omnino eruditus vno eodemque modo ac ratione necessaria esse putantur. Quemadmodum enim magnos oratores habemus, qui nunquam regulis artis oratoriae operam dederunt, & tamen bonitate ingenii, lectione librorum bonorum & crebra exercitatione id assecuti sunt, ut orationes graues ac elegantes habere possint; ita habemus etiam viros doctos, qui, sine omni regularum dialecticarum studio, sola ingenii bonitate, lectione librorum & propria exercitatione aduti, facilius veritatem inuestigant, quam multi eorum, qui omnes regulas probe perspexerunt easque in meditationibus suis quam accuratissime sequuntur. Propterea tamen regulas ipsas penitus rejicere velle ac inutiles habere, aequae ridiculum esset, ac si quis regulas omnes artis oratoriae penitus contemnere sibi fumeret. Permulti enim nunquam oratores, ne mediocres quidem, essent facti, nisi regulas artis didicissent. Ita etiam permulti omnino nescirent, quomodo e. g. meditationem rite instituere deberent, nisi regulis logicis ad eam rem in-

structi fuissent. Insolentissime autem errant ii, qui praeceptis cogitandi imbutum omnem sapientiam quasi plenis haustibus bibisse putant; quo quidem sermone circumforaneo nescio an quid periculosius tradi possit, studiosae praesertim iuuentuti. Facile enim fieri potest, ut iuuenes, ejusmodi glaucomate objecto, ab ediscendis litteris, a sedulo legendis praestantissimis veterum ac recentiorum scriptis auocentur. Fieri igitur potest, ut, omnibus aerumnis ac laboribus logicis exantlatis, iuuenes tamen sint instar putei, in quo crepidinem justam quidem videas, aquam autem frustra quaeras. Quid, quaeso! iuuat, centum didicisse regulas, si nihil habes, quod ad eas dirigere possis? Quid profunt rustico aratrum ac boues, si terram non habet, quam vertat? Quid est, quod didiceris, testem fide dignum esse eum, qui veritatem scire potuerit eandemque efari voluerit? An sola hac regula, in se verissima & optima, dicere mihi poteris, vtrum Xenophonti in historia Socratis sit fides habenda, an non? Verbo dicam: est logica instrumentum veri in cognitione nostra inueniendi, non cognitio ipsa. Habeas instrumentum sine cognitione; habebis nihil. Nunquam igitur prodeat ejusmodi error ex ore praeceptoris, cujus munus est, studiosam iuuentutem multiplicis cognitionis ornatu non denudare, sed amicire.

§. 5.

Habes, Lector! sententiam meam de vtilitate logices! Quando autem tradenda sit ea iuuenibus, nunc breuiter quoque dicam. Equidem negare non possum, ridiculam semper mihi visam esse quaestionem illam, vtrum iuuenes jam in scholis, an demum in Academia instituendi sint praeceptis cogitandi. Quomodo dubitari potest, tradenda esse haec praecepta iuuenibus in scholis, praesertim in eo discipulorum ordine, vbi ad cursum academicum feliciter ineundum iuuenes sedulo ac rite praeparantur, quum educatio bona, qualis hominem decet liberum, ingenuum, litteris praesertim natum, requirat, ut animi puerorum ab ineunte statim aetate ad eum habitum formentur, quo verum, bonum, pulchrum & nosse & diligere valeant. Haec ipsa autem animi conformatio locum habere non potest, nisi adolescentibus saepius inculcetur, non leuiter omnia esse arripienda, quaecunque ab aliis dicantur; homines saepe fallere & falli; phantasiis & somniis non esse fidendum; non temere de re quacunque iudicandum, sensus nostros interdum nos fallere, rel. . systematice quidem tradi non debent ejusmodi regulae; quod stupidum ac ridiculum esset; sed data occasione mox hoc, mox aliud docendum. Docendum ta-

men

men est. Atque si docetur, sane pueri non in rebus medicis, sed in elementis philosophiae rationalis erudiuntur. In scholis, ubi autores veteres leguntur, ubi historia, Physica, Mathematica aliaeque scientiae tractantur, fieri etiam aliter non potest quam ut praeceptores, si rem suam vtiliter agere velint, iuuentuti regulas proponant, non aliunde, quam ex ipso philosophiae rationalis thesauro desumptas. Fac enim, praeceptorem incidere in loca, ubi iuuenes monendi sunt, ne fidem habeant auctori, cuius generis sunt e. g. loca Taciti, Justinii de rebus iudaicis notissima! Nonne adjicere etiam debet rationes? Quas si addit, nonne vltro ad res logicas feretur oratio? Fac, in rebus physicis mentionem fieri dogmatis, quod suspecto nititur experimento! Nonne praeceptoris est, rationem dare cur experimentum illud suspectum sit habendum? An autem fieri id poterit, nisi regularum vna vel altera de experimentis rite instituendis commemoraretur? In objectionum quoque solutione, quae in scientiis haud raro accidit, saepissime dicendum est, aliter sentientem haud rite ratiocinatum esse, non probasse, quod probandum erat; de omnibus dixisse, quod tantum de quibusdam dicendum est. Apparet igitur, in scholis multiplicem se offerre, praecepta logica docendi occasionem, eandemque auide a praeceptore esse arripiendam, nisi obiter tantum iuuenes institueret vellet. Traduntur quidem hac ratione nonnisi membra philosophiae rationalis, non integrum ejus corpus. Sed hactenus etiam id sufficere videtur. In superiori autem discipulorum ordine necessarium omnino erit, semel certe cursum per totum logicis ambitum cum auditoribus institueret. Tandem enim aliquando adducendi sunt iuuenes, ut in reliquis quoque casibus, qui adhuc non adfuerunt, errores declinare &, quantum quidem fieri possit, veritatem inuestigare discant. Qua ex re etiam hunc capere poterunt fructum, ut postea in Academia citius in philosophia rationali proficiant & plus temporis in multis aliis rebus ediscendis optime collocare possint. Brevis modo sit institutio illa scholastica! Omittatur penitus aut leuiter tantummodo tangatur celeberrimum illud *Barbara*! Prolixius autem explicentur vtilissima illa loca de praeconceptis opinionibus abjiciendis, de fide historica, de meditatione rite instituenda! — Quibus obseruatis, iuuentuti scholasticae vtilissimam fore institutionem philosophiae rationalis, ego quidem nulla ratione dubitare possum.

Jam ad ea, quae, Lector! tibi indicare debebam, progredior. Factum est fato maxime dolendo, vt *Vir Clarissimus atque Doctissimus*, *Christoph. Henricus Siegel*, qui in Gymnasio nostro academico munere professoris Juris ciuilibus, Matheos ac gallicae Linguae, summa laude ac singulari diligentia atque vtilitate sedecim annos functus est, in morbum grauissimum incideret. Quum grauitas morbi spem valde exiguam prosperae valetudinis relinqueret, a *senatu hujus ciuitatis amplissimo* Vir praefantissimus, vt muneris sui adiutorem acciperet, quam obseruantissime rogauit. Vocatus igitur est a *senatu nostro amplissimo* ad munus illud suscipiendum, *Vir Clarissimus atque doctissimus Joannes Jacobus Reutlingerus*, Philosophiae Doctor. Natus est Vir Clarissimus Argentinae, honestissimis parentibus. Prima litterarum fundamenta posuit in illustri & regio argentinensi Gymnasio; vbi etiam talem se praebuit, qualem Vniuersitatis curatores semper sperarent. Praeuiua praceptorum exploratione, multis praemiis exornatus, ad superiora ascendit subfella. Tum celeberrimorum Professorum auditoria summa diligentia frequentauit & omni cura omnique studio in philosophiam incubuit. Vitae ac morum integritate diligentiaque in studiis probata, in collegium celeberrimum Wilhelminum adscitus est. Cursu autem philosophico finito & publica de Electricitate dissertatione, pro doctoris philosophiae gradu, summo cum applausu habita, omnem operam jurisprudentiae ciuili dedit. Quibus studiis ad finem perductis, priuatis sumtibus omnes fere Galliae ac Germaniae partes peragrauit virorumque Doctorum amicitia dignum se reddidit. Postea Petropolin vocatus ad priuatam educationem iuuenis cuiusdam generosissimi, cuius patrem Excellentissimum Fautorem atque Amicum ad cineres vsque colet, abiit. Quo munere cum sedulo fungeretur, a *senatu ciuitatis nostrae amplissimo*, consensu Excellentissimi ac Generosissimi ducatus nostri Praefecti, in vicem Clarissimi Siegelii nostri vocatus est. Munus hocce demandatum crastino die hora xi, recitata oratione *de potestate diuina legislatoria arbitraria*, publice suspiciet. Quam ad orationem audientiam Excellentissimum atque Generosissimum hujus Ducatus Praefectum, omnes, qui copiis praesunt, nobilissimum equitum ordinem, amplissimum ciuitatis senatum, vtrumque ciuium ordinem honestissimum & omnes scientiarum fautores humillime, obseruantissime atque amice inuito.



R Est.

A-1903